

## COLLOQUIVM OCTAVVM

*Persōnae: Iulius, Aemilia, Flōra, Iūlia*

Ecce Iūlius et Aemilia in forō Tūsculānō. Forum plēnum est virōrum et femīnarum quī emunt aut vëndunt, in his Flōra, puella fōrmōsa, quae rosās vëndit. Aemilia rosās videt.

Aemilia: "Aspice rosās, Iūli!"

Iūlius: "Quās rosās?"

Aemilia: "Quās illa puella vëndit." Puellam digito mōnstrat.

Iūlius puellam aspicit.

Iūlius: "Fōrmōsa est puella."

Flōra clāmat: "Ecce rosael Emite rosās!"

Aemilia cum Iūliō adit ad Flōram, quae eōs salūtat: "Salvēte, domine et domina! Aspiciite hās rosās!"

Aemilia: "Ō, quam pulchrae sunt rosae tuae!"

Iūlius: "Hortus noster plēnus est rosārum."

Aemilia: "Sed illae rosae quae sunt in hortō nostrō nōn tam pulchrae sunt quam hae."

Iūlius: "Neque filia nostra tam pulchra est quam haec puella."

Aemilia: "Tacē, Iūli! Rosās aspice, nōn puellam!"

Flōra ad Iulium rīdet. Aemilia nōn rīdet.

Iūlius ūnam rosam sūmit et puellam interrogat: "Quantum est pretium huius rosae?"

noster -tra -trum  
= meus et tuus

Aemilia: "Nōn ūnam tantum, sed multās rosās eme, Iūli!"

Flōra Iūliō et Aemiliae decem rosās ostendit: "Ecce decem rosae.


Pretium hārum rosārum est duo sēstertiū tantum."

Iūlius: "Id magnum pretium nōn est. Ecce duo sēstertiū."

Iulius Flōrae duos sēstertiōs dat. Puella nummōs sūmit et Iūliō decem rosās vëndit. Iulius rosās sūmit et Aemiliae dat.

Iūlius: "Accipe hās rosās ā virō tuō, quī tē amat, Aemilia!"

Aemilia laeta rosās accipit, et virō suō ōsculum dat.



Iūlius et Aemilia ad villam suam adveniunt et ā Iūliā laetā

salūtantur: "Salvēte, pater et māter!"

Iūlius et Aemilia: "Salvē, Iūlia!"

Iūlia, quae venit ex hortō, decem rosās pulchrās ante sē tenet.

Iūlia: "Ecce rosae. Nōne pulchrae sunt?"

Aemilia: "Ō, quam pulchrae sunt rosae tuae! Unde sunt illae rosae?"

Iūlia: "Ex hortō sunt. Accipe rosās, mamma!"

Iūlia Aemiliae decem rosās dat.

Iūlia: "Tam nōn meae, sed tuae sunt."

Aemilia laeta rosās accipit, et filiae suae ōsculum dat.

Iūlia: "Pretium decem rosārum nōn est ūnum ōsculum, sed decem!"

Iūlius: "Id magnum pretium est!"

Aemilia rīdet et filiae suae decem ōscula dat.

Iūlius: "Māter tua aliās decem rosās habet. Ecce rosae eius." Ex lecticā decem rosās sūmit et Iūliae ostendit. Illae rosae iam nōn tam pulchrae sunt quam in forō, quia in aquā nōn sunt.

Iūlia rosās aspiciet et interrogat: "Unde sunt illae rosae?"

Iūlius: "Ex forō Tūsculānō, ubi puella fōrmōsa rosās vēndit."

Iūlia: "Quantum est pretium illarum rosarum?"

Iūlius: "Duo sestertii — et unum tantum osculum!"

Iūlia: "Duo sestertii? Id est magnum pretium! In hortō nostro sunt mille rosae, quarum pretium nullum est."

Aemilia: "Num decem oscula nullum est pretium?"

Iūlia: "Cūr pater, qui hortum habet plenum rosarum, aliās rosās emit ā puellā Tūsculānā? Nōnne rosae horti nostri tam pulchrae sunt quam eae quae tantō pretiō in forō emuntur?"

Iūlius Aemiliam aspiciet, quae nōn responderet.

Iūlius: "Respondē, Aemilia! Iūlia tē interrogat."

Aemilia: "Sine aquā rosae nōn tam pulchrae sunt..."

Iūlia Iūlium interrogat: "Nōnne filia tua tam pulchra est quam puella quae rosās vēndit?"

Aemilia Iūlium aspiciet, qui nōn responderet.

Aemilia: "Respondē, Iūli! Iūlia tē interrogat."

Iūlius: "Filia mea tam pulchra est quam rosa..."


Iūlia: "Num illa puella tam pulchra est?" Iūlius tacet.

Aemilia: "Age, sūme rosās meās vīginti, Iūlia, eāsque in aquā pōne!"

Iūlia vīginti rosās sūmit et cum iis abiit.

Iūlius: "Pretium decem rosarum nōn est unum osculum tantum, sed decem oscula!"

Aemilia ridet et Iūliō quoque decem oscula dat.



## COLLOQUIVMNONVM

*Personae: Faustinus, Rufus*

Faustinus, pāstor Iūlii, abest ab ovibus suis, quia ovem nigram in silvā quaerit. Ovēs sine pāstōre in campō errant.

Ecce Faustinus cum cane suō ex silvā venit. Pāstor ovem nigramumeris portat.

Canis latrat: "Baubau!"

Ovēs canem audiunt et ad pāstōrem suum currunt.

Faustinus ovem nigram in terrā pōnit sub arbore.

Ovis balat: "Bābā!"

Pāstor ovēs numerat: "Ūna, duae, trēs, quattuor, quinque....."

Dum ovēs ā pāstōre numerantur, vir irātus accurrit. Est Rūfus, qui parvam villam cum hortō prope silvā habet.

Rūfus irātus baculum ante sē tenet et clāmat: "Ō improbe pāstor! Ovēs tuae in hortō meō sunt!"

Faustinus: "Quid agunt ovēs meae in hortō tuo?"

Rūfus: "Rosās meās edunt."

Faustinus: "Ovēs nōn rosās, sed herbam edunt. Neque ovēs meae ā pāstōre suō abeunt. Quot ovēs sunt in hortō tuo?"

Rūfus: "Quattuor."

Faustinus: "Nōn meae sunt illae ovēs. Ecce ovēs meae, quae apud mē sunt. Numerus earum est centum. Age, numerā eās!"

Rufus ovēs aspicit, neque eas numerat.

Rufus: "Hic centum ovēs nōn sunt."

Faustinus: "Sunt centum. Nulla ovis abest."

Ecce autem quattuor ovēs albae accurrunt! Post eas venit parvus canis irātus, qui unam ovem dentibus petit.

Rufus: "Ecce Persa, canis meus, qui cum ovibus tuis venit."

Faustinus: "Vocā canem tuum! Ovem meam morderi!"

Rufus: "Persa, veni!"

Canis irātus nōn venit, sed ovem mordet. Ovis, quae mordetur, bālat: "Bābaa!"

Iam canis pistoris parvum canem videt et ad eum currit.

Persa sē verit ab ove ad canem pistoris, qui ante eum cōsistit et dentes ostendit.

Canis pistoris lātrat: "Baubau!"

Parvus canis, qui magnum canem timet, nōn lātrat, sed ululat:

"Uuhū!" et ad dominum suum currit.

Ovēs quattuor, quae canem parvum iam nōn timent, laetae ad pistorem adeunt et ad eum bālant.

Rufus: "Ovēs dominum suum amant. Nōne tuae sunt?"

Faustinus: "Nullae ovēs meae iam sunt in hortō tuō."

Rufus: "Sed vestīgia ovium tuarum in hortō meō sunt."

Faustinus: "Et in collō ovis meae sunt vestīgia dentium canis tui!"

Canis ille parvus iam malus est quam lupus!"

Rufus: "Immo bonus canis est Persa. Canis meus ovēs nōn est."

Faustinus: "Neque ovēs meae rosās edunt."



## COLLOQVIVM DECIMVM

Personae: Iulia, Syra

Iulia et Syra in hortō ambulat cum Margaritā, cane Iuliae parvā et crassā. Sōl lūcet in caelō sine nūbibus. Iulia laeta canit. Canis eam canere audit et caudam movet.

Ecce avis ante canem volat. Canis avem ante sē volāre videt et currit, sed avis iam procul ā cane est. Canis, quae avem capere vult neque potest, irāta lātrat: "Baubau!"

Iulia canem suam vocat: "Margarita! Veni!"

Canis cōsistit et ad Iuliam, dominam suam, currit.

Syra: "Necesse nōn est canem vocāre, neque enim canis avēs capere potest."

Iulia: "Sed avēs canem timent."

Canis iam fessa iacet ad pedēs Iuliae. Syra canem crassam in herbā iacere videt eamque spirāre audit.

Syra: "Canem tuam crassam nulla avis timet."

Iulia: "Margarita nōn est crassa!"

Canis aspicit Iuliam et caudam movet.

Iulia: "Sed cūr nōn canunt avēs? Quid timent?"

Syra: "Nōn canem fessam, sed avem feram timent."

Iulia: "Quam avem feram?"

Syra magnam avem quae suprā hortum volat digrītō mōnstrat:

"Ecce avis fera quae ā parvīs avibus timetur."

Iūlia caelum aspicit et magnam avem suprā se volāre videt. Avis magnis alis sustinetur, neque Iūlia alās movērī videt.

Iūlia: "Quae est illa avis?"

Syra: "Est aquila, quae cibum quaerit."

Iūlia: "In caelō cibum reperire nōn potest."

Syra: "Nōn in caelō, sed in terrā cibum quaerit. Aquila enim bonōs oculos habet et parva animalia procul vidēre potest.

Aquila est avis fera, quae aliās avēs capit et ēst."

Iūlia: "Avis improba est aquila!"

Syra: "Magna aquila etiam parvam puellam capere potest et ad nidum suum portāre."

Iūlia: "Quid? Mēne aquila portāre potest?"

Syra Iūliam aspicit: puella tam crassa est quam canis sua. Syra rīdet neque respondet. Iūlia eam rīdēre nōn videt, nam caelum aspicit neque iam aquilam videt.

Iūlia: "Tam abest aquila."

Syra: "Est apud nidum suum."

Iūlia: "Ubi est nidus aquilae?"

Syra: "Procul in monte est, quō nēmō potest ascendere. Puerī nidum aquilae reperire nōn possunt."

Iūlia: "Sed aliōs nidōs reperire possunt. Ecce puerī quī nidōs quaerunt in arboribus." Iūlia Marcum et Quintum in umbrā inter arborēs errāre et nidōs quaerere videt.

Iūlia et Syra in solē sunt.

Syra: "Venī in umbram, Iūlia!"

Iūlia canem, quae ad pedēs eius iacet, pede pulsat: "Age, curre, Margarīta crassa!"

Syra canem aspicit, et rīdet. Etiam Iūlia rīdet.

Margarīta ante Iūliam currit ad parvam arborem. Canis caudam movet et lātrat: "Baubau!"

Ecce avis perterrita ex arbore volat. Iūlia et Syra cōsistunt ante arborem, unde parvae vocēs auduntur: "Pīpīpī, pīpīpī!"

Iūlia Syram interrogat: "Quid hoc est?"

Syra rāmōs et folia arboris movet et inter rāmōs parvum nidum videt. Syra nidum prope aspicit.

Syra: "Ecce nidus in quō quīnque pullī sunt. Aspice, Iūlia!"

Iūlia nidum aspicit, neque pullōs videt, quia nimis parva est.

Iūlia, quae pullōs aspiciere vult, imperat: "Impōne mē in umerōs tuōs, Syra!"

Syra: "Umerī mei tē portāre nōn possunt."

Iūlia: "Sustinē mē tantum!"

Syra Iūliam ā terrā sustinet. Iam puella pullōs videt in nidō. Pullī autem tacent neque iam pīpīant.

Iūlia: "Ō, quam parvī sunt! Cūr nōn pīpīant neque se movent?"

Syra: "Quia perterritī sunt; tē enim vident."

Iūlia: "Pullī mē vidēre nōn possunt, neque enim oculos aperiant."

Syra fessa puellam crassam in terrā pōnit.

Syra: "Sed vocem tuam audiunt pullī — et māter pullōrum tē nōn solūm audit, sed etiam videt. Audi: avis pīpīat, quia ad nidum suum adire nōn audet."

Audītur vōx Marcī: "Venī, Quinte! In hāc arbore nidus est."

Iūlia: "Ō, Mārcus nidum videt."

Syra: "Discēde ab arbore, Iūlia! Mārcus alium nidum videt, hunc nidum reperire nōn potest." Iūlia et Syra cum cane ab arbore discēdunt. Avis eās discēdere videt et ad nidum suum volat.

Pullī, quī mātern suam venīre vident, rūsus pīpīant:


"Pīpīpī!" Pullī cibum expectant.

Avis pullis suis cibum dat.



pullus pīpīat:  
"pīpīpī!"

māter (nōm)  
mātern (acc)



## COLLOQUIVM VNDECIMVM

Personae: Sextus, Fabia

māter matris *f*  
Cornēlius et Fabia, quī Tūsculī habitant, ūnum filium, Sextum, habent. Sextus Tūsculī apud matrem suam est, sed Cornēlius abest. Fabia virum suum exspectat.

Sextus matrem interrogat: "Cūr nōn venit pater?"

Fabia: "Rōmā Tūsculum via longa est."

Sextus: "Nōn longa est via. Atque bonum equum habet pater."

Fabia: "Equus bonus est. Cornēlius equum suum amat neque eum verberat; itaque equus nōn currit, sed ambulat."

Sextus: "Estne solus pater?"

Fabia: "Nōn solus, nam equus est apud eum."

pater patris *m*  
Sextus: "Cūr nullus servus apud patrem meum est?"

Fabia: "Quia pater tuus ūnum tantum equum habet, neque ūnus equus duos hominēs Tūsculō Rōmam vehere potest."

Sextus: "Cūr pater meus ūnum tantum equum habet? Pater Mārci multos equos habet."

Fabia: "Quis dicit 'Iūlium multos equos habere'?"

Sextus: "Mārcus id dicit."

Fabia: "Quot equos habet Iūlius?"

Mārcus: "Pater meus x equos habet."  
M. dicit 'patrem suum x equos habere'

Sextus: "Mārcus dicit 'patrem suum decem equos formosos habere.' Cūr pater meus decem equos nōn habet?"

Fabia: "Quia pater tuus nōn tam pecuniōsus est quam pater Mārci. Iūlius magnam familiam habet et magnam villam."

Sextus: "Quot servos habet Iūlius?"

Fabia: "Interrogā Mārcum!"

Sextus: "Mārcus dicit 'servos eius numerāri nōn posse!'"

Fabia: "Iūlius habet centum servos, ut ipse dicit — sed Mārcus centum numerāre nōn potest!"

Fabia Mārcum puerum stultum esse putat.

Sextus: "Mārcus nōn potest centum servos numerāre, sed decem equos numerāre potest! Cūr Iūlius, quī decem equos habet, patri meo equum nōn dat? Nōne Iūlius amicus patris est?"

Fabia: "Est. Sed Iūlius multos amicos habet."

Sextus: "Quid Iūlius nōn habet?"

Fabia: "Cornēlius quoque multos habet amicos. Pecuniōsus nōn est vir meus, sed bonus vir, bonus pater, bonus amicus est."

Sextus: "Etiam Iūlius bonus pater est. Cum revenit ex oppidō,

liberis suis multa dōna dat."

Fabia: "Quī magnam pecuniānam habet, multa et magna dōna emere potest."

Sextus: "Nec solum liberis suis, sed etiam matrī eorum magna dōna dat. Māter Mārci multa ornāmenta accipit ā virō suō. Mārcus dicit 'matrem suam et gemmīs et margarītis et anulīs pulchris ornāri nec aliam fēminam tam formosam esse...'"

Fabia: "Num māter Mārci sine ornāmentis tam formosa est quam māter tua?"

Sextus: "Nulla fēmina tam pulchra est quam māter mea!"

Fabia verbis filii delectatur eumque interrogat: "Quis id dicit?"

Sextus nōn respondet, nam equum accurrere audit.

Sextus: "Audi! Pater venit. Equus eius nōn ambulat, sed currit."

Fabia: "Quid est? Cūr equus currit? Age, exi ante ostium!"

Exit Sextus.

Cūr equus Cornēlii currit? Vidē colloquium duodecimum!

dōnum -i n = id  
quod daturduo-decimus -a -ur  
= XII. (12.)



## COLLOQVIUM DVODECIMVM

*Persōnae: Miles, Cornēlius, Mēdus.*

Cornēlius viā Latīnā Rōmā Tūsculum it. In viā Latīnā miles Rōmānus, quī ipse Rōmā Tūsculum it, Cornēlium post sē venire audit.

Mīles, quī in solē ambulat, fessus est, quia arma gravia fert.

Cornēlius dominus, quī equō vehitur, nōn est fessus, sed fessus est equus quī dominum gravem vehit. Itaque equus Cornēlii nōn currit, sed ambulat. Cornēlius nōn verberat equum suum fessum.

Mīles Cornēlium salutat: "Salvē, domine! Equus tuus bonus est, nec solūm tē, sed etiam mē portāre potest!"

Cornēlius virum armārum timet, quia ipse arma nōn fert; itaque militem equum ascendere iubet: "Ascende! Hīc post mē sedet!"

Mīles equum ascendit. Iam duo hominēs unō equō vehuntur: miles sedet post Cornēlium, Cornēlius ante militem sedet.

Equus Cornēlii, quī duos virōs gravēs Tūsculum vehere nōn potest, irātus hinnit: "Hihihī!" atque in viā cōsistit.

Cornēlius equum ambulāre iubet: "Ambulā, eque!" Equus autem rūsus hinnit neque sē movet.

Mīles equum hinnire audit et Cornēlium interrogat: "Cūr nōn ambulat equus?"

Cornēlius respondet: "Quia unum tantum hominem vehere potest."

Mīles: "Improbus est equus. Verberā eum!"

Cornēlius: "Equus meus probus est; eum verberāre necesse nōn est." Cornēlius equum suum amat neque eum verberāre vult.

Mīles irātus clāmat: "Age, curre, eque!" atque equum gladiō verberat!



Equus perterritus currit, atque miles ad terram cadit! Caput eius viam pulsat.

Cornēlius equum cōsistere iubet, sed equus perterritus Tūsculum currit. Sextus, filius Cornēlii, quī ex ostiō viam spectat, equum accurrere videt ac perterritus ab eō fugit. Equus cum dominō ante ostium cōsistit.

Mīles autem quietus in viā iacet ut mortuus. Dē fronte eius sanguis fluit.

Dum miles illic in solē iacet, Mēdus adventi. Unde venit Mēdus?

Is Tūsculō venit et viā Latīnā Rōmam ambulat.

Mēdus laetus canit: "*Nōn via longa est Rōmam...*"


Hic Mēdus hominem in viā iacere videt et ante eum cōsistit.

Mēdus sē interrogat: "Quis est hic vir quī in mediā viā iacet?"

et ipse respondet: "Est miles, nam armātus est."

Servus caput militis manū sustinet et, dum sanguinem deterget,

interrogat eum: "Quid est, amice? Dolete caput?"



Vox Médī ā milite nōn audītur. Miles se nōn movet, nec Médus eum spirāre audit. Ergō Médus militem mortuum esse putat.

Sed ecce miles oculōs aperit et parvā vōce dicit: "Aquam...!"

Médus, quī militem vīvere gaudet, ex parvō rīvō aquam arecessit et milīti dat.

Miles laetus ē manū Médī bibit et 'aquam bonam esse' dicit:

"Aqua bona est. Iam necesse nōn est mē sustinēre, amice!"

Médus: "Dolene caput?"

Miles: "Nōn male dolet..."

Médus: "Veni Rōmam ad medicum!"

Miles: "Id necesse nōn est — sed necesse est mē Tūsculum ire: illic enim dux exercitūs in castrīs mē exspectat."

Médus: "Rōmae mē exspectat amīca mea."

Miles: "Id mē delectat. Mē quoque puella Rōmāna amat et


Rōmam vocat... Sed iam dux mē vocat in castra. Bonus miles ducī suō pāret, ut bonus servus dominō suō. Ergō valē, bone serve, ac bene ambulā!"

Médus rīdet et respondet: "Valē, bone miles!"

Miles, quī ducem exercitūs timet, Médum relinquī et Tūsculum ad exercitum ambulat. Miles ducī suō pāret.

Médus, quī Rōmam ambulat ad amīcam suam, militem stultum esse putat. Médus dominō suō nōn pāret.

"Salvē!" dicit is  
quī advenit  
"Valē!" dicit is  
quī discēdit



## COLLOQUIUM TERTIUM DECIMUM

*Persōnae: Medicus, Syrus, Iulius, Aemilia, Syra*

Hōra octāva est. Dum Quintus in lectō iacet in cubiculō suō,

Medicus in ātrīō Iūlium exspectat. Servus adest Syrus.

Iulius ex cubiculō Quīntī venit.

Medicus interrogat: "Dormitne puer?"

"Nōn dormit" respondet Iūlius, "Quīntus dormire nōn potest, quod iam nōn modo pēs eius dolet, sed etiam brachium."

Mēdicus: "Pēs tantum aegrōtat."

Iūlius: "Cum pēs aegrōtat, necesse nōn est vēnam brachiiī aperīre. Hōc modō pēs aeger nōn sanātur."

Medicus: "Sanguis ā corde per vēnās fluit in tōtum corpus hūmānum, ut dicit Hippocratēs..."

Hic intrat Aemilia cum Syrā ancillā, quae pōculum fert plēnum sanguinis.

Aemilia: "Ecce sanguis Quīntī in pōculō. In corpore eius iam nōn multum sanguinis est, ut ostendit color eius albus. Filius noster nunc aegrior est quam erat!"

Medicus: "Sed faciēs eius nimis rubra erat. Puer crassus..."

Aemilia: "Num filius meus puer crassus est?"

Syra (parvā vōce ad Aemiliam): "Is nōn est tam crassus quam ipse medicus!" Sed ea verba ā crassō medicō nōn audīuntur.

Medicus: "Nōn nimis crassus est puer. Homō autem crassus, cui color faciēi ruber est, nimis multum sanguinis habet..."

Iūlius: "... ut dicit Hippocratēs!"

Aemilia: "Quis est Hippocratēs?"


Medicus: "Est medicus Graecus clarissimus. Ille dicit 'hominem crassum ac rubrum nimis multum sanguinis habēre in corpore'."

Iūlius: "Ergō in corpore tuō crassō nimis multum est sanguinis!"

Medicus: "Num crassum est corpus meum?"

Iūlius: "Crassius est quam corpus Quīnti. Atque ecce faciēs tua rubra. Sānā tē ipsum, medice!"

Medicus: "Quō modō?"



Iūlius: "Sūme cultrum ac vēnam apertī tuam!"

Rident Aemilia et Syra. Item Syrus ridere incipit.

Medicus (irātus): "Servus tuus mē rīdet!"

Iūlius Syrum tacēre iubet: "Tacē, Syre! Exī atque equum medici dūc ante ōstium!"

Exit Syrus.

Vōx Quīnti auditur ex cubiculō: "Venī, mātēr!"

Iūlius: "Audi, Aemilia! Quīntus tē vocat. Estne sōlus in cubiculō?"

"Nōn est" respondet Aemilia, "Delia est apud eum. Quīntus gaudet medicum abesse, et mē exspectat."

Medicus: "Cūr mē abesse gaudet?"

Aemilia: "Quia tē atque cultrum tuum metuit. Dīcit 'tē esse malum medicum!'"

Medicus: "Quid? Ille puer id dicere audent?"

Syra (parvā vōce in aurem Aemiliae): "Nōn puer tantum id dicit!"

Iūlius: "Nōne malus est medicus quī hominēs aegrōs nōn sānat, sed aegrīōrēs facit?"

Medicus: "Quī medicus id facit?"

Iūlius medicum aspici nec respondet.

Quīntus rursus mātrem vocat: "Mātēr! Ma-ā-ter!"

Iūlius: "Ī ad Quīntum, Aemilia, atque iubē eum dormire! Hōra octāva est."

Aemilia abit ad filium suum aegrum.

Medicus: "Tam tempus est mē abire."

Iūlius: "Nēmō tē hic tenet."

Medicus: "Ubi est equus meus?"

Iūlius: "Tam stat ante ōstium."

Iūlius cum medicō ante ōstium exit. Illic stat equus medicī, qui ā Syrō tenētur. Medicus equum ascendit.

Medicus: "Valē, domine!"

Iūlius: "Valē, medice! Necessē nōn est tē post hunc diem revenire."

Medicus sōlus discedit.





## COLLOQUIVM QVARTVM DECIMVM

*Personae: Aemilia, Iulius*

Vesper est. Aemilia in peristyliō est cum Iulio.

Aemilia: "Veni mēcum in hortum, Iulī. Delectat mē tēcum ambulāre in hortō nostrō."

Iulius: "Mē quoque id delectat. Sed sol iam nōn lūcet. Vesper est."

Aemilius: "Cum sol lūcet, nimis calidus est aēr in hortō. Merīdiē in solē ambulāre mē nōn delectat, sed vesperī aēr nec nimis calidus nec nimis frigidus est."

Iulius: "Sed obscurus est hortus vesperī. Rosae vidērī nōn possunt."

Aemilia: "Hāc nocte hortus obscurus nōn est, nann lūna et stellae lūcent. Ecce magna lūna quae suprā montem ascendit."

Lūnam spectāns Iulius "Lūna plena est hāc nocte" inquit "quae est ante calendās Iuniās. Sed rēs male illūstrantur lūce lūnae. Rosārum color vidērī nōn potest."

Aemilia: "Lūx lūnae hortum nostrum pulchrum etiam pulchriorem facit. Age, veni mēcum, Iulī!"

Aemilia manum Iulī caput eumque secum dūcit in hortum.

In hortō Aemilia "Nōne pulchra est lūna?" inquit, "Est ut faciēs hūmāna. Ecce ōs eius quod ad tē rīdet."

Iulius primum lūnam spectat, deinde faciem Aemiliae rīdentem: "Ad mē" inquit "nōn solum ōs lūnae rīdet, sed etiam ōs tuum rubrum ut rosa."

Aemilia rīdēns "Hāc lūce" inquit "color rosārum vidērī nōn potest — num ōris mei color vidērī potest?"

Iulius rursus Aemiliam aspiciēns "Etiam sine colore" inquit

"faciēs tua formōsa est, Aemilia: oculī tuī ut stēllae lūcent et dentēs ut margaritae! Atque collum tuum album bene videtur.

Ō, quam formōsum est collum tuum!" Iulius collō Aemiliae osculum fert.

Aemilia: "Ō Iulī! Verba tua mē delectant."

Iulius: "Ubi sunt margaritae quibus collum tuum ornārī solet?"

Aemilia: "Nōne formōsum est collum meum sine margarītīs?"

Iulius: "Nōn tam formōsum quam cum margarītīs! Margaritae tē, feminam pulchram, etiam pulchriorem faciunt. Ubi sunt cetera ornāmenta tua?"

Aemilia: "Ecce gemmae in auribus et ānuli in digitīs."

Iulius: "Sed collum tibi nūdum est. Ubi sunt eae margaritae,

Aemilia? Iulius terram ante Aemiliam spectat.

Aemilia: "Sunt in cubiculō nostrō."

Iulius, qui margaritās in herbā quaerit, haec verba nōn audit, sed "Quid est hoc" inquit "quod ante pedēs tuōs iacet?"

Aemilia: "Nōn est margarita."

Iulius id quod in herbā iacet manū tangit atque "Fui!" inquit horrēns, "Est parva bēstia nūda."

Aemilia: "Quae bēstia? Vīvine?"

"Hāc lūce" inquit Iulius "nihili vidērī potest", ac deinde: "Nōn ūna, sed quattuor parvae bēstiae hīc iacent. Nōn vīvunt, nam frigidae sunt nec sē movent."

Iulius corpora bēstiarum rursus tangit et ālās brevēs sentit.

Iulius: "Pullī avium sunt. Ō, quam foedi sunt pullī mortuī!"

Aemilia: "Hāc luce vidēri nōn possunt."

Iūlius: "Nōn vidēri, sed tangi possunt. Corpora eōrum nūda sunt atque foeda et sordida, colla longa et nūda..."

Aemilia: "Mihi quoque nūdum est collum."

Iūlius: "Cūr quattuor pulli mortui hīc iacent?"

Aemilia: "Interrogā Iuliam: ea respondere potest."


Iūlius: "Eane etiam margaritās tuās reperire potest?"

Aemilia "Surge, Iūli!" inquit, "Neque enim necesse est margaritās in hortō quaerere: in cubiculō nostrō sunt. I in cubiculum atque affer mihi margaritās!"

Iūlius autem Aemiliam aspiciens "Margaritās tibi afferre" inquit "necesse nōn est. Sine ōrnamētō fōrmōsissimum est collum tuum atque umeri tui..."

Hīc Iūlius collō et umeris Aemiliae ōscula fert atque "Iam veni mēcum" inquit "in cubiculum nostrum!"

Iūlius manum Aemiliae capit eamque secum dūcit in cubiculum.



### COLLOQVIUM QVINTVM DECIMVM

*Persōnae: Mārcus, Iūlia, Aemilia, Iūlius, servi*

Post merīdiem Mārcus in hortō ambulāns Iūliam inter rosās sedentem videt. Puella quietā est neque canit.

Frāter apud sorōrem cōnsidit eamque interrogat: "Cūr tam quietā es, Iūlia, neque canis?"

Iūlia: "Nōn canō, quia tristis sum."

Mārcus: "Quid tristis es? Nōne rosae tē delectant?"

Mārcus Iuliae rosās pulchrās mōnstrat, neque ea rosās aspicit. In oculis puellae lacrimae sunt. Mārcus eam lacrimāre videt.

Mārcus: "Quid est, Iūlia? Quid plōrās?"

Iūlia: "Nōn plōrō. Lacrimō quod pulli sunt mortui. Ecce pulli."

Iulia nūdum ē rosīs sūmit et frātri ostendit. In nūdō sunt quattuor pulli mortui.

Mārcus tacitus pullōs aspicit, tum ridere incipit: "Hahaha!"

Iulia: "Quid ridēs, Mārce?"

Mārcus: "Rīdeō, quod pulli foedi sunt!"

Iūlia: "Fōrmōsī sunt pulli mortui. Cūr tū eōs foedōs esse putās?"

Mārcus: "Aspice, Iūlia: corpora eōrum sunt nūda et sordida, colla nimis longa, aīlae nimis brevēs. Nihil foedius est quam pullus mortuus!"

Haec verba audiēns Iulia plōrāre incipit atque matrē vocat:

"Uuhū! Mamma!"

Mārcus ridēns ā sorōre plōrante discēdit.

Aemilia accurrit et Iuliam oculos tergere ac laetam esse iubet:

“Tergē oculos, Iulia! Es laeta! Quid manū tenēs?”

“Nūdum cum pullis teneō” inquit Iulia, et matrī nūdum et pullōs ostendit.

Aemilia nūdum aspiciens “At mortuī sunt pulli!” inquit, “Cūr eōs pullōs foedōs nōn relinquis et mēcum venis in villam?”

Haec verba audiēns Iulia rursus plorāre incipit.

Aemilia: “Dēsine plorāre, Iulia! Veni in cubiculum! Fessa es.”

Iulia exclamat: “Nōn sum fessa! Nōn sum fessa!” sed mātē manuum eius capit et eam sēcum in villam ducit.

Nīdus ad terram cadit. Quattuor pulli mortuī in herbā iacent.

Iam Iulia quīeta in lectulō suō dormit. Servi autem quīetī nōn sunt, sed canunt et rīdent, quia dominum nōn vident; servi enim dominum severum ā villā abesse putant.

Sed Iūlius, quī in peristyliō est, servōs canere et rīdere audit eōs-que quīetōs esse iubet: “Este quīetī, servi! Cūr canitis et rīdētis, dum Iulia dormit?”

Respondent servi: “Canimus et rīdemus quia laetī sumus. Nōnne tū canis et rīdēs cum laetus es?”

Dominus irātus magnā vōce clāmat: “Tacētē!!! Ego dominus sum, vōs servī estis! Iulia dormit.”



Puella dormiēns clāmōre patris excitātur. Iulia ē lectō surgit atque ē cubiculō exit.

Iūlius filiam suam venire videt eamque inter-rogat: “Quid nōn dormis, Iulia?”

Iulia: “Nōn dormiō, quod tē clāmāre audiō; itaque nōn possum dormire. Cūr clāmās, pater?”

Iūlius: “Ego servōs clāmantēs tacēre iubeō.

Nōnne servōs improbōs clāmāre audis?”



## COLLOQUIUM SEXTVM DECIMVM

*Personae: Dorippa, Lepidus, Lydia, Medus*

Māne est. Urbs Rōma primā luce sōlis orientis illustrātur. Ventus frigidus ā montibus flāre incipit.

Dōrrippa, amīca Lydiae, ē lectō surgit et fenestram aperit. In viā infā fenestram Lepidum advenire videt.

Lepidus, quī multās rosās sēcum fert, ad cubiculum Dōrrippae ascendit atque intrāns “Salvē” inquit, “amīca mea!”

Dōrrippa eum nōn salūtat.

Lepidus: “Ecce rosae quās tibi afferō, Dōrrippa, rosa mea! Accipe hās rosās ab amīcō tuō!”

Dōrrippa tacita Lepidum intuetur neque locō sē movet.

Lepidus: “Nōnne rosae tē dēlectant?”

Dōrrippa rosās manū capit et ad terram iacit!

Lepidus: “Quid agis, Dōrrippa? Cūr rosās pulchrās ad terram iacis?”

Dōrrippa: “Eās rosās dā amīcae tuae!”

Lepidus: “At rosās amīcae meae dō.”

Dōrrippa: “Nōn sum ego amīca tua.”

Lepidus: “Quid audiō?”

Dōrrippa: “Id quod vērū est.”

Lepidus: “Sed ego tē amō, Dōrrippa.”